# DE DUORUM ATTRACTIONIS GENERUM USU APUD TRAGICOS.

---

# DISSERTATIO
## INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT
ET
**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS**
AUCTORITATE
IN
ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI
AD SUMMOS
**IN PHILOSOPHIA HONORES**
RITE CAPESSENDOS
DIE XX. MENSIS MART. A. MDCCCLXIII, HOR. XI
IN AULA MINORE
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**ISIDORUS KRAUSE,**
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
E. NAUKE, DR. PHIL.
A. WINTER, SEM. REG. SOD.
A. LANGEN, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

Duo praecipue genera grammaticae saepe inter se commutari atque commisceri solent, sed plane et dilucide discrepant: alterum, quod in constituendis iis regulis linguae versatur, quibus perceptis quae in illa lingua scripta sunt, recte intelligere possimus; alteri vero multo graviori hoc est propositum, ut linguae leges earumque causas atque ordinem demonstret et explicet, quo nobis ingenium et indoles alicujus populi recludatur. Ex quo jam intelligi potest, et quantus sit labor difficultasque id assequendi, quod est hujus generis grammaticae, quae vocatur historica, et quantum adjumentum ad populorum ingenia eruenda atque pernoscenda praebeat; quo auxilio in antiquitate exploranda plane carere non possumus. In quo mihi venit in mentem oratio tres annos abhinc a Fr. Haasio hujus Viadrinae professore doctissimo atque ornatissimo publice habita de usu particulae „autem" apud Tacitum, cujns quum demonstravisset usum a prioribus scriptoribus discrepantem, magna eorum, qui audiebaut admiratione exposuit, quomode satis luculenter inde cognosci posset Taciti indoles ejusque aetatis.

Sed ut in antiquitate latina exploranda multi doctissimi viri ingenti cum diligentia magnoque cum fructu plura saecula jam elaboraverunt, graecam autem antiquitatem paene omiserunt, quae vix unum per saeculum explorari coepta est, — ita hanc graecae grammaticae disciplinam valde neglectam videmus: qua in arte accurata diligentia subtilique observatione longum per tempus erit opus, ut quod ei propositnm est, ali-

quando assequatur. Atque ego quum mihi ex hac disciplina locum, quem tractarem, de attractione eligerem, non tanta arrogantia eram, ut me, qui tiro essem in ejusmodi commentationibus, aliquid perficere posse ducerem, quod omni laude esset dignum. Sed id egi, ut scriptoribus iis, iu quibus observarem, diligenter perlectis et locis omnibus usus, quem proposuissem, collectis opiniones atque sententias meas de hoc usu expromerem, quae si minus probabiles essent, viros illustrissimos atque me peritiores commotum iri sperabam, ut ipsi suam sententiam proferrent et me edocerent. Quod posthac magno usui mihi fore cognovi, si (quod in animo est) apud alios scriptores graecos attractionis usum observarem, neque sperare non licuit, me sic instructum de toto attractionis usu aliquando accurate et subtiliter disserturum esse. — Observandi autcm attractiouis usus in tragicorum trium poetarum scriptis ea mihi erat causa, quod utile gratumque putabam fore, illum usum apud tres scriptores deinceps sequentes quodammodo perspicere atque comparare.

Sed priusquam in mediam rem veniamus, fines commentationis nostrae accurate nobis sunt definiendi atque circumscribendi. Quum enim opus aggrederer, fieri non posse mox cognovi, ut una hac commentatione pertractarem ea, quae in attractionis loco habentur a singulis grammaticis: qualis igitur sit definienda attractionis notio (qua in rc viri doctissimi Bernhardy et Hermannus praecipue differunt) id alii novae commentationi concedendum est. Ego tria genera, quae vulgo in attractionis loco numerari solent, elegi, quorum locos apud tres tragicos occurrentes colligerem atque perlustrarem: in quo usus sum grammaticae libris Kruegeri, Rostii, Buttmanni, annotationibus Hermanni ad Vigerum et Bernhardy syntaxi graecae grammaticae. Kruegeri vero librum de attractione, quem Lobeckius in Ajacis editione p. 420 ad v. 1007 citat, frustra petii.

## § I.

Primum genus attractionis, quod mihi proposui, continetur potissimum in eo, ut praecedente genitivo

aut dativo, ad quem refertur accusativus pronominis relativi, accusativus non ponatur, sed genitivus aut dativus pronominis attractus ad praecedentem genitivum aut dativum. Quae regula in iis sententiis relativis tantum valet, quae notionem necessario arteque cum praecedentibus verbis cohaerentem continent. Nonnulla vero alia attractionis genera attractioni, quam modo definivi, similia sunt, quorum exempla ex tragicis petita hac quidem paragrapho commemorabo, explicationem autem dabo sequenti.

Atque in Aeschyli septem tragoediis occurrunt ejusmodi attractionis novem loci[1]): Agam. 316. 779. 941. Suppl. 583. Eum. 564. Choeph. 728. Sept. 291. 531. Prom. 967. Ex quibus plerique tales sunt, ut pronominis relativi generis neutrius pluralis sit positus, qui refertur ad genitivum pronominis demonstrativi omissum, ut in Ag. 316. 941. Suppl. 583. Eum. 564. Sept. 531. Prom. 967. Reliquis autem in locis praecedunt articulo et pronomine demonstrativo omissis substantiva, ad quae refertur genitivus pronominis relativi. Praecipueque in Choeph. 728.

δόμοις δὲ τοῖςδε παγκάκως ἔχει
φήμης ὑφ᾽ ἧς ἤγγειλαν οἱ ξένοι τορῶς.

quo loco notanda est artissima conglutinatio praepositionis cum relativo, quae ad substantivum tantum pertinet; quasi sententia relativa facta esset adjectivum aliquod pertinens ad substantivum φήμη. — Praeterea Hermannus conjecit in Sept. 338:

καὶ κενὸς κενὸν καλεῖ,
ξύννομον θέλων ἔχειν
οὔτε μεῖον, οὔτ᾽ ἴσον λελιμμένοι
τῶν ἐκ τῶνδ᾽ εἰκάσαι λόγος πάρα.

Quae conjectura ideo mihi displicet, quod pronomen relativum τῶν ad dativum pronominis demonstrativi τούτοις omissum quidem, sed supplendum ex ἴσον, quasi attractum videtur nec commode intelligitur τούτων a μεῖον pendens, ad quod relativum τῶν pluribus ver-

[1]) In Aeschyli locis numerandis utor Hermanni editione, in Sophoclis Brunckiana, cujus numeri exstant in Erfurdtii atque Hermanni editione, in Euripidis locis adhibeo Kirchhoffii editionem.

bis disjunctum referatur. Neque genitivus τῶν pro dativo usurpatus defendi potest, quod nusquam in Aeschyli tragoediis dativus aliquis attractus reperiatur, quae ratio sane esset pusilla. Sed comparare licet Soph. Elect. 177.

μήθ' οἷς ἐχθαίρεις ὑπεράχθεο μήτ' ἐπιλάθου,

ubi οἷς recte ad primi verbi ὑπεράχθεο objectum refertur, non positus est genitivus propter verbum remotius ἐπιλάθου. —

Sed transeamus ad Sophoclem, qui multo frequentius, quam Aeschylus hoc attractionis genere usus est: Oed. Col. 50. 230. 334. 478. 976. 991. 1145. 1155. 1412. 1489. Trach. 241. 346. 398. 444. 623. 680. 1121. 1208. 1232. Ant. 1068. El. 169. 177. 319. 431. 763. 771. 873. 1048. 1108. 1220. 1378. Aj. 115. 993. Phil. 52. 253. 588. 907. 1012. 1191. 1227. 1394. Oed, Rex. 119. 148. 314. 350. 578. 707. 788. 862. 1416.

Quibus in locis quum et genivi et dativi pronominis relativi occurrant, primum perlustremus genitivos attractos, qui si ad pronomen demonstrativum praecedens referuntur, paene ubique pronomen illud demonstrativum omittitur: Oed. Col. 50. 230. 976. 991. 1145. 1155. Trach. 346. 398. 1121. 1232. Ant. 1068. Elect. 169. 319. 771. 1048. 1220. 1378. Aj. 115. Phil. 52. 253. 588. 1227. 1394. Oed. R. 119. 314. 578. 707. 788. 862. 1416, exceptis duobus locis Elect. 431 et Oed. R. 148. Quae res quomodo mea quidem sententia false explicetur a gramatticis, infra videre licet. Apud Sophoclem loci etiam occurrunt, ubi illa demonstrativa generis neutrius, ad quae pronomina relativa referuntur, pendent a praepositionibus, quae quia demonstrativa non exprimuntur, cum relativis conjunguntur: quod frequentissime fit in praepositione ἀντί: Oed. Col. 1489. El. 1378. Oed. R. 314. Ant. 1068. Sed etiam in aliis praepositionibus, ut Electr. 1379, et Oed. R. 707. Et substantiva, ad quae referuntur relativa, non solum pronomine demonstrativo carent, quo omnino raro Graeci utebantur ad indicandas sententias relativas, sed etiam semper fere omissum habent articulum. Atque in Phil. 1191 quidem:

τί ῥέξοντες ἀλλοκότῳ
γνώμᾳ τῶν πάρος, ὧν προὔφαινες;

articulo addito opus est ad substantivam notionem formandam τὰ πάρος „res ante factae". Nec difficilior ad explicandum est Trach. 1208

οὐ δῆτ᾽ ἔγωγ᾽ ἀλλ᾽ ὧν ἔχω παιώνιον
καὶ μοῦνον ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν,

ubi in altero substantivo ἰατῆρα insuper addito causa latet, cur ab incepta constructione deflectatur et τῶν ἐμῶν κακῶν ponatur, quum praecedens ὧν ἔχω solum substantivum κακῶν sine articulo et pronomine possessivo requirat. Neque vero substantiva, sicut apud Aeschylum observavimus, semper praecedunt genitivo pronominis relativi, sed nonnunquam ponuntur in fine sententiae relativae, ut in Trach. 680. 1208. Elect. 763. 873. 1108. quod majorem coartationem efficere facile patet. Ex his locis memoratu dignus est Elect. 763

τοῖς δ᾽ ἰδοῦσιν, οἵπερ εἴδομεν,
μέγιστα πάντων ὧν ὄπωπ᾽ ἐγὼ κακῶν,

ubi adjectivum πάντων a suo substantivo κακῶν disjunctum est. — Unum denique exemplum attractionis invenitur in pronomine relativo οἷος usurpatae, quod infra pluribus verbis interpretabor: legitur in Trach. v. 444

οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει,
κἀμοῦ γε· πῶς δ᾽ οὐ χἀτέρας, οἵας γ᾽ ἐμοῦ;

ir quo non solum nominativus pronominis relativi accommodatur genitivo praecedenti ἑτέρας, sed etiam sententiae relativae subjectum ἐγώ, verbo substantivo omisso.

Nunc contemplari licet locos, in quibus dativus pronominis relativi per attractiouem occurrit pro accusativo, cujus usus ab Aeschylo neglecti Sophocles octo exempla praebet. Oed. Col. 478. 1412, Phil. 1012 Oed. R. 350. Elect. 177. Oed. Col. 334. Phil. 907. in quorum plerisque ita, ut supra memoravimus in genitivis, pronomen relativum, quod generis neutrius est, pluraliter dictum est pronomine demonstrativo, ad quod illud referendum est, omisso ut in Oed. Coel. 1412. Phil. 907. 1012. Elect. 177; quapropter praepositio ad illud pronomen demonstrativum omissum proprie pertinens conjungitur cum relativo: Phil. 907.

Eandem hanc artam conjunctionem praepositionis cum pronomine relativo deprehendimus in Oed. Col. v. 334.

*καὶ λόγοις γ' αὐτάγγελος,*
*ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ,*

quo loco praepositio, quae erat conjungenda cum substantivo, ad pronomen relativum se applicat substantivo in extrema sententia relativa collocato. Similis est ille locus in Aesch. Choeph. 728, ubi, ut ex allatis Sophoclis locis intelligitur, accentus in praepositione poni non debet, ut Schuetzius voluit, quoniam ὑπὸ praepositio ad utrumque verbum et ad substantivum φήμης et ad ἧς applicata est. Aristophanem autem hanc concinitatem neglexisse patet ex Eccl. 665 (ed. Bergk.) et Thesm. 835. Denique in Soph Oed. Col. 478:

*ἢ τοῖςδὲ κρωσσοῖς οἷς λέγεις χέω τάδε;*

additum legitur pronomen demonstrativum ὅδε substantivo κρωσσοί.

Apud Euripidem exempla hujus generis attractionis perpauca inveniuntur respicienti multitudinem ejus tragoediarum, quae exstant; sunt hi loci: Iph T. 501. Iph. Aul. 378. Med. 298. 404. Hel. 447. 1423. Cycl. 257. Jon. 32. 444. 1384. 1474. Suppl. 212. Troad. 1191. Phoen. 483. Andr. 981. Hec. 742. 1002. 1246. Orest. 249. 1112 1401. 1439. Rhes. 171. Atque plerumque ὧν genitivus legitur, qui attractus est ad genitivum pronominis demonstrativi omissum, ut in Iph. T. 501. Iph. Aul. 378. Med. 404. Hel. 447. 1423. Cycl. 257. Jon. 444. 1384. Suppl. 212. Troad. 1191. Phoen. 483. Andr. 981. Hec. 742. 1002. Or. 249. 1439. Rhes. 171; excepto loco in Hec. 742.

*οὐδέν τι τούτων ὧν σὺ δοξάζεις ἄναξ.*

Quinque tantum in loeis pronomen relativum ad praecedens snbstantivum aut sequens refertur: Med. 298. Hec. 1246. Jon. 1474. Ov. 1401 et Jon. 32:

*λαβὼν βρέφος νεογνὸν ἐκ κοίλης πέτρας*
*αὐτῷ σὺν ἄγγει σπαργάνοισί θ' οἷς ἔχει κ. τ. λ.*

quod unum exemplum apud Euripidem dativi attracti legitur. Neque saepius in his locis, quam Aeschyli atque Sophoclis, additus est articulus, qui cum pronomine demonstrativo conjunctus legitur in Jone v. 1474.

In reliquis fere locis aeque ac Sophocles, substantivum articulo omisso in extrema sententia relativa Euripides posuit. In Medeae autem loco v. 298:

*χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν ἀργίας*
*φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ,*

*ἄλλης* adjectivum sejunctum est a suo subtantivo *ἀργίας* plane ut in Soph. Electr. 763. —

Tum dativorum exempla duo afferuntur primum ex Danae v. 22, quod fragmentum Kirchhoffius spurium judicavit; in altero ex Alcest. v. 517 in duobus tantum apographis parvae auctoritatis *οἷς* legitur, Kirchhoffius et Nauckius recte scripserunt *οὓς*:

*εἰ χρή με παισὶν οὓς Ἄρης ἐγείνατο*
*μάχην συνάψαι κ. τ. λ.*

Neque recepi locos Hipp. 813, ut Valckenaer scripsit:

*ὤ μοι ἐγὼ παθέων, ὧν ἔπαθον, ὦ τάλας*

nec Rhes. 841 ita ut Bothe conjecit:

*τίς οὖν τέτρωται, τίς τέθνηκε σύμμαχον*
*τὸν σὸν μολόντων ὧν σὺ πολεμίων λέγεις,*

quia codicum auctoritate non nituntur. Perperam autem locum Suppl. 1175.

*ὁρᾶτε παῖδας τούσδ᾽ ἔχοντας ἐγχεροῖν*
*πατέρων ἀρίστων σώμαθ᾽ ὧν ἀνειλόμην,*

per attractionem vulgo explicant, quem sic construi volo: *ἔχοντες ἐν χεροῖν σώματα πατέρων ἀρίστων ὧν σώματα ἀνειλόμην*: cujus plane similis constructio apparet in Eur. Med. 12.

*ἁνδάνουσα μὲν*
*φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα,*

i. e. *ἁνδάνουσα πολιτῶν χθονὶ ὧν χθόνα ἀφίκετο.*

Quod idem accipiendum est de Aesch. Prom. 447. Agam. 1053. Soph. Phil. 844. Eur. Iph. Taur. 620. Med. 1269. — Sed revertamur ad genuina attractionis exempla in Euripidis fabulis oblata, quorum Andr. 981:

*ὁ μητροφόντης . . . .*
*δείξει γαμεῖν σφε μηδέν᾽ ὧν ἐχρῆν ἐμέ,*

ubi *ὧν* pronomen relativum masculinum genus exhibet, non ut solet in talibus formulis, neutrum: quocum Soph. Elect. 771 conferatur. In Orestis denique

l. 1112 in pronomiue *οἷος* eandem duplicem attractionem adhibitam esse videmus, quam in Soph. Trach. 444.

Restat nunc, ut ex Sophocle duos locos memorem, in quibus non pronomen relativum attrahitur ad praecedens substantivum, sed adverbium relativum, ita ut in Phil. 482:

*τόλμησον, ἐμβαλοῦ μ' ὅπῃ θέλεις ἄγων,*
*εἰς ἀντλίαν, ἐς πρῷραν, ἐς πρύμνην, ὅποι*
*ἥκιστα μέλλω τοὺς ξυνόντας ἀλγυνεῖν,*

pro notione commorandi in aliquo loco „*ὅπου*" notio eundi in aliquem locum „*ὅποι*" ponatur respondens antecedentibus verbis *εἰς ἀντλίαν* etc., utque in Trach. 701:

*ἐκ δὲ γῆς, ὅθεν*
*προὔκειτ', ἀναζέουσι θρομβώδεις ἀφροί,*

pro adverbis relativo *ὅπου* sit adverbium *ὅθεν* antecedentium verborum causa, quae notionem veniendi ab aliquo loco continent. Sed neque Euripidem neque Aeschylum hunc usum usurpavisse invenimus, quamquam a ratione illius attractionis generis, de quo hac paragrapho diximus, minime discrepat.

Alium vero usum in omnium tragicorum fabulis obvium hic notare debemus, quem grammatici fere omnes recte vocant inversam attractionem nec alio modo explicari posse existimo, nisi ut pronomen aut adverbium relativum talem vim habere dicatur, ut praecedens substantivum aut adverbium locale, ad quod illud relativum refertur, sibi accommodet. Atque loci, in quibus adverbia relativa localia vim exercent in praecedentes notiones, occurrunt duo apud Sophoclem tantum, Phil. 726:

*πατρῴαν ἄγει πρὸς αὐλὰν*
*Μηλιάδων νυμφᾶν,*
*Σπερχειοῦ τε παρ' ὄχθαις, ἵν' ὁ χάλκασπις ἀνὴρ θεὸς πλάθει θεοῖς.*

et Oed. Col. 1226:

*τὸ δ', ἐπεὶ φανῇ,*
*βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει, πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα,*

quod quum in canticorum locis obveniat, ad sedatiores tragoediarum locos aptum esse non videtur. Apud omnes vero tragicos nostros is usus reperitur, ut substantivum aliquod in initio totius sententiae positum, ad quod pronomen relativum refertur, accommodetur

aut nominativo aut accusativo hujus pronominis: quí usus in negligentia socordiaque meditata scriptorum continetur, qui quum spectent ad unum substantivum exaggerandum, ceterorum verborum structuram sententiae primariae negligunt. Quod imprimis intelligitur ex Aeschyli l. Sept. 381:

*καὶ νύκτα ταύτην, ἣν λέγεις ἐπ' ἀσπίδος*
*ἄστροισι μαρμαίρουσαν οὐρανοῦ κυρεῖν,*
*τάχ' ἂν γένοιτο μάντις ἡ ἀνοίᾳ τινί,*

in quo constructio verborum *τάχ' ἂν γένοιτο κ. τ. λ.* ne sic quidem cohaeret cum antecedenti substantivo *νύκτα ταύτην*, ut hoc aut subjecti aut alicujus objecti munere in sententia primaria fungatur, sicuti in Soph. Trach. 283, nec minus in Soph. Oed. Col. 1150. Oed. R. 449. 936. et Eur. Elect. 1072. Or. 1641. Restant loci ex Aesch. Ag. 1318:

*οὐκ οἶδα βουλῆς ἧστινος τυχὼν λέγω*

et ex Soph. Electr. 653 et Trach. 152, quos sane diversos ab eorum, quos modo attuli, ratione, quod substantivo pronomini relativo accommodato verbum finitum praecedit, per attractionem explicare non dubito.

Nunc si spectamus universa, usum hujus attractionis generis apud singulos tragicos respondere plane indoli atque naturae illorum facile apparet: quam attractionem aptissimam esse ad coartanda singula orationis membra, grammatici satis jam edocuerunt. Ex quo mirari non licet, Aeschylum, qui omnino raro jam usus est sententiis relativis, illud orationis conglutinandae adjumentum fere aspernatum esse. Et quum Aeschyli ea est natura, ut gravitate tantum verborum et sententiarum homines admonere et incendere velit neglectis amplis orationis artificiis, Sophocles subtilissime atque ornatissime, ut ejus est suavitas dulcedoque loquendi, orationem componit et concinnat. Quae concinnitas sane in hujus attractionis frequentissimo usu conspicitur, quem in Sophoclis tragoediis invenimus, duabus exceptis Ajace et Antigona, quae ceteris ejusdem scriptoris fabulis vetustiores rationem dicendi paene Aeschyleam servavisse videntur. Euripides autem quum a vulgari genere orationis parum abhorreat nec in eodem quo Sophocles, studio orationis conformandae pulchreque componendae versetur, attractio-

nis hoc genere tam raro, quam Aeschylus usus est, cujus rei plane diversam in utroque scriptore causam esse cognoscimus. Quod vero in fabulis Aeschyleis nullum exemplum dativi attracti invenitur, id non fortuito evenisse, sed illam genitivorum attractionem solam in usu primum fuisse, valde consentaneum mihi videtur. Et quum Aeschylus tales verborum conformationes non desideravisset, Sophoclem primum pristinum usum ampliorem reddidisse in tragoediis suis recentioribus (nusquam enim in Ajace nec in Antigona dativi alicujus attracti exemplum legitur), Euripidem vero, in cujus tot fabulis locus ejusmodi unus reperitur, sicuti totum illud attractionis genus raro usurpavit, ita novissimum, quem memoravi usum paene neglexisse putandum est. In quo revoca in mentem exempla attractionis adverbiorum apud Sophoclem observata, quod genus ab Aeschylo et Euripide nusquam usurpatum reperitur. — Memoratu etiam dignae sunt illae a Sophocle frequenter usurpatae formulae, quae in eo continentur, ut *οὐδὲν ὧν* dicatur omisso demonstrativo, quod ab *οὐδὲν* dependet; quattuordecim enim ejus exempla leguntur in tragoediis Sophocleis: Oed. Col. 976. 1145. 1155. Trach. 346. 1121. 1232. Elect. 319. 1048. 1220. Aj. 115. Phil. 253. 1394. Oed. R. 119. 862.: quo accedit, quod sententiae relativae parvum habent plerumque circuitum iisdemque fere verbis utuntur, ut *λέγω* atque similibus: Trach. 346. 1121. 1232. Elect. 319. 1048. 1220. Phil. 1394: quibus omnibus in locis dicendi verbum occurrit. Atque omnino idem saepe in attractionis locis apud Sophoclem obviis accidit, ut breves sint sententiae relativae certisque paene verbis utantur, praecipue verbis dicendi et habendi, quae verba his locis leguntur: O. C. 334. 478. 1145. Trach. 346. 623. 1121. 1208. 1232. Elect. 319. 431. 636. 873. 1048. 1220. 1378. 1379. Phil. 907. 1191. 1394. Oed. R. 148. 314. 350. 707. tum verba quaerendi, audiendi et videndi frequenter occurrunt: Oed. Col. 991. 1155. Trach. 241. El. 763. 1108. Aj. 993. Phil. 52. 253. 588. Oed. R. 119. 578. et verba *παθεῖν* et *δρᾶν*: Oed. Col. 230. 976. 1489. Elect. 169. Phil. 907. 1012. 1227. Oed. R. 862. Atque in duobus locis postremis Phil. 1227: *ἔπραξας*

ἔργον ποῖον ὢν οὔ σοι πρέπον; et Oed. R. 862: οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν ὢν οὔ σοι φίλον, verbum finitum sententiae primariae, quod idem pertinet ad sententiam relativam, in sententia relativa omissum est; quomodo artior et brevior oratio fit. Quod ab Euripide saepius usurpatum videmus: Iph. Taur. 501. Jon. 1384. Hec. 1002. Andr. 981. Or. 1439; contra in Jone v. 444. additum verbum est sententiae relativae. Dein illa formula οὐδὲν aut τὶ ὢν cum brevi sententia relativa in Euripidis locis crebrius occurrit, quam in Sophoclis locis: Iph. Taur. 501. Hel. 447. 1423. Jon. 444. 1384. Phoen. 483. Med. 404. Hec. 742. 1246. Or. 249. Cycl. 257. Rhes. 171. Nec paene ullus locus reperitur praeter illos, in quibus unum duobus orationis membris verbum est, qui verbo dicendi aut habendi non utatur: Iph. Taur. 501. Hel. 447. 1423. Cycl. 257. Jon. 32. Troad. 1191. Med. 298. Iph. Aul. 378. Hec. 742. 1246. Or. 249. Rhes. 171. — Certus igitur modus apud tragicos hujus attractionis generis usurpandi fuisse videtur. Sed haec hactenus.

## § II.

Procedimus nunc ad ea refellenda, quae a grammaticis in initio commentationis citatis perperam de hoc attractionis genere, cujus locos modo obtulimus, disputata esse nobis videntur respicientibus inprimis locos in tragicorum fabulis occurrentes eaque, quae ibi observavimus. Prius autem grammaticorum locos indicabo: Buttmannus egit de hac re in gramm. graeca § 143, 3—6, Krueger in gramm. gr. majore § 51, 10 p. 342—344. Rostius in gramm. gr. § 99, 9—11 p. 465—467. Bernhardy in syntaxi graeca p. 299—301 et Hermannus nonnulla passim dixit in annot. ad Vig. p. 709, p. 710 annot. 29, p. 788 ann. 431, p. 872 et in universum p. 889.

Omnes paene hi grammatici multum disputaverunt de pronomine demonstrativo, quod quia saepissime in hoc attractionis genere omissum esset, causam in attractione positam esse putaverunt. Et Buttmanni[1])

---

[1]) § 143 ann. sic ait: Nur die Auslassung des Demonstrativs konnte veranlassen, dass man das Relativ zum vorhergehenden

verba si confers cum iis, quae disseruit in § 151 I., illas sententias relativas, quarum pronomen casum praecedentis substantivi induisset, Buttmannum patet judicasse paene adjectivi naturam habere, a qua pronomen demonstrativum abhorreret. Quo modo vero locos, ubi pronomen demonstrativum additum est, passim occurrentes apud scriptores graecos explicat, repugnare mihi videtur iis, quae modo dixit, quod primum Graecos sententiis relativis per attractionem adjectivi naturam dedisse, ita ut alienum esset pronomen demonstrativum ab illis sententiis, dein vero ademisse statuit, quum interdum pronomen demonstrativum addere liceret. Sed satis mihi persuasum habeo, sententias relativas, de quibus disputamus, natura adjectivi omnino caruisse neque unquam relativam naturam exuisse; verisimilius autem statuere mihi videtur, conformatione casuum in hoc attractionis genere speciem tantum et imaginem quandam adjectivi productam esse, quo artius orationis membra cohaerere viderentur. Quam sententiam meam comprobari puto observatione tragicorum poetarum; si enim conferas sententias relativas, in quibus attractio non est usurpata, cum iis, in quibus occurrit, minime saepius pronomen demonstrativum in illis, quam in his additum invenies, ita ut appareat Graecos omnino nunquam curavisse adjectivam naturam earum sententiarum, in quibus attractio usurpatur, sed ut quaeque sententia demonstrativum pronomen desideraret, tale pronomen non recusavisse: quod quum insignem vim haberet, raro omnino Graeci adhibuerunt, de qua re cf. Bernhardy in synt. gr. p. 285. 286. In tragicorum autem fabulis his locis, ubi attractio fit, pronomina demonstrativa addita observavimus: Soph. Oed. Col. 478. Elect. 431. Oed. R. 148. Eur. Jon. 1474. Hec. 742. Dein in Sophoclis tragoediis exempli gratia hos tantum tres locos invenimus, in quibus pronomen demonstrativum praecedit iis sententiis relativis, ubi attractio pronominis relativis non fit: Soph. Aj.

Wort construirte und so das Ganze rundete. Aber wenn nun der Attiker bei dieser ihm geläufig gewordenen Verbindungsart, Nachdruckshalber das Demonstrativ noch hinzufügte, so ist es sehr begreiflich, dass er darum nicht nothwendig wieder die ursprüngliche Verbindung wieder ergreifen musste.

1058. Phil. 1397. Electr. 530. Apud Aeschylum vero nullum omnino ejusmodi locum invenimus, sed duos tantum, ubi pronomen demonstrativum *ἐπαναληπτικῶς* sequitur sententiam relativam: Aesch. Prom. 229. 932; quod saepius apud Sophoclem deprehendimus.

Neque igitur Hermanni sententia probabilis mihi videtur, quam protulit in Vig. ann. p. 872: „Porro nulla ellipsis in attractione est; in quo genere saepissime errari a viris doctis videmus. Ut in hoc versu: *οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν ὧν οὔ σοι φίλον*, tantum abest, ut *τούτων* omissum sit, ut id potius additum difficultatem faciat, quia addito, si rectam volumus orationem esse, dici debet *ἃ οὔ σοι φίλον* sc. *πρᾶξαί με*. Quin quum *ὧν* dicit poeta, utrumque comprehendit, et genitivum, qui ad *οὐδὲν*, et pronomen, quod ad *φίλον* referatur. Non multum differunt ab hoc genere talia: *τῆς δ' ἒξ αὐχέν' ἔαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν*. Nam haec quoque quaedam est attractio, quoniam non ita haec Graeci dicunt, ut *αὐτὴν* ad *λαβὼν* intelligatur, sed ut participium ad idem nomen, de quo verbum est, etiam si casus nominis non congruat cum participii constructione, referendum sit. Veluti hic *λαβὼν* non ad *αὐχένα*, sed ad *τὴν* latens in genitivo *τῆς* refertur.“ Quam Hermanni sententiam non aliter intelligere possum, nisi ita ut in verbo *ὧν* non attractionem, sed contractionem ex demonstrativi genitivo *τούτων* et accusativo relativi pronominis *ἃ* factam esse statuat. Sed haec ratio quum nulla omnino analogia graecae linguae nitatur, tum iis locis refellitur, in quibus additum pronomen legitur, qui quomodo explicandi sint, Hermanuus omnino non disputat. Nam illae ipsae formulae, quas supra in § I. descripsi, plene dictae inveniuntur *οὐδὲν τούτων ὧν* apud tragicos cf. Soph. Elect. 431. Eur. Hec. 742. Atque etiam pro illa arta frequentique verborum conjunctione *ἀνθ' ὧν* (pro iis, quae) legitur in Theor. epigr. XVIII, 3:

*ἑξεῖ τὰν χάριν ἁ γυνὰ*
*ἀντὶ τήνων, ὧν τὸν κῶρον ἔθρεψεν.*

Genitivus *ὧν* non comprehendit et pronomen relativum et genitivum *τούτων*, sed docet tantum, proprie supplendum esse ante pronomen relativum genitivum

pluralis pronominis demonstrativi, quia relativum ἃ accommodatum est huic genitivo omisso τούτων: quod subsidium ubique tamen usurpatum non videmus, cf. Soph. Oed. R. 345:

> καὶ μὴν παρήσω γ' οὐδέν, ὡς ὀργῆς ἔχω,
> ἅπερ ξυνίημ',

et Phil. 1161. Oed. Col. 223. Eur. Med. 753. Phoen. 995. Neque aptum est exemplum ab Hermanno ad l. locum allatum ad rationem suam comprobandam: τῆς δ' ἐξ αὐχέν' ἔαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν; quia in illo verae attractionis exemplo in ὧν verbo et relativum et demonstrativum pronomen inesse vir doctissimus statuit, in hoc exemplo τῆς δ' ἐξ κ. τ. λ. ejusdem verbi τῆς alius casus tantum suppleri et referri debet ad participium λαβὼν, quod sane neque in graeco neque in latino sermone inusitatum est. Quis enim ignorat, duobus verbis diversae constructionis pertinentibus ad unum relativum, casu suo pronomen relativum ad proximum tantum verbum referri neque denuo exprimi solere in altero verbo, sed suppleri ex pronomine relativo primum posito eum casum, qui conveniat alteri verbo? veluti in Soph. Aj. 1295:

> αὐτὸς δὲ μητρὸς ἐξέφυς Κρήσσης, ἐφ' ᾗ
> λαβὼν ἐπακτὸν ἄνδρ' ὁ φιτύσας πατὴρ
> ἐφῆκεν ἐλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν,

ex relativo ἐφ' ᾗ, quod casu suo pertinet ad participium λαβὼν, ad alterum verbum ἐφῆκεν accusativus supplendus est; cf. quoque Soph. Oed. R. 117. Oed. Col. 731. Sed Hermanno ipsi rationem ellipseos in attractione denegandae in succum et sanguinem non transisse conjicere recte mihi videor ex loco in annot. ad Vig. p. 710 ann. 29, ubi ait: „Duplex, quam Zeunius memorat, significatio ad unam redit. Nam ἀνθ' ὧν aut n u l l a c u m e l l i p s i dicitur et significat „quare", aut dicitur pro ἀντὶ τούτων ὧν vel quidquid quoque in loco ad explicationem adhiberi possit." —

Kruegerus autem illa Hermanni sententia nitens in gramm. gr. § 51, 10,1. eodem fere modo disserit, quod quomodo refellendum sit, ex iis, quae supra dixi, satis elucebit. Atque hac occasione data non-

nulla Kruegeri dicta notabo, ut in § 51, 10, 4.[1]), quo loco satius judico dici, accusativos per attractionem in genitivos commutatos diverso modo ad verbum, a quo pendent, referri posse; quod nobis tantum memorabile videtur, quia angustiorem accusativi usum in nostro sermone habemus, quam Graeci atque etiam Romani. Veluti saepissime utuntur Graeci duobus ad idem verbum referendis accusativis et rei et personae neque hunc casum repudiant in iis verbis, quae sua natura intransitiva sunt, quorum consilium ac vim substantiva forma tales accusativi, qui sunt inprimis pronominis alicujus, indicant. Itaque mirum non erit, etiam accusativos per attractionem praecedentibus verbis accommodatos species illas a nostro usu diversas exhibere, ut ex tragicorum fabulis hi sunt loci, in quibus genitivus aut dativus relativi accusativi vice fungens rem designat altero accusativo personam jam indicante: Aesch. Ag. 779. Prom. 967. Soph. Oed. Col. 991. Trach. 680. Phil. 253. et in Oed. R. 788:

καί μ' ὁ Φοῖβος ὧν μὲν ἱκόμην
ἄτιμον ἐξέπεμψεν,

accusativus vel genitivus pronominis intransitivo verbo ἱκνεῖσθαι appositus est ad ejus vim atque causam indicandam. Addam locum in Eur. Jone v. 444:

ἦ καί τι σιγῶσ' ὧν σιωπᾶσθαι χρεών;

ubi aceusativus est subjectum accusativi cum infinitivo. — Inde facile intellectu erit, quo modo in Soph. Ant. 1068:

ἐν οἷσι τῶν σῶν αὐτὸς ἐκ σπλάγχνων ἕνα
νέκυν νεκρῶν ἀμοιβὸν ἀντιδοὺς ἔσει,
ἀνθ' ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω
ψυχὴν ἀτίμως ἐν τάφῳ κατοικίσας κ. τ. λ.

ἀνθ' ὧν sit explicandum; ubi praeterquam, quod verbum ἔχειν accusativum personae ψυχὴν secum habet, accusativus alter occurrit i. e. pronomen relativum ἃ (ἀντὶ τούτων, ἃ), quod vim atque consilium verbi ἔχειν substantiva forma significet. Ad ejusmodi significationem pronominis notionem causae facile accedere,

---

[1]) Einmal an das zur Assimilation entstandene (οὗ) ὧν gewöhnt, gebrauchte man es auch, wo wir (τοῦτον) τούτων ὅτι oder etwas Aehnliches erwarten würden, erklärlich aus § 46, 5. A. 4, 9.

docent: Eur. Or. 613, Eur. Hec. 13. neque alio modo latinam conjunctionem „quod“ explicandam esse, jam pridem viri doctissimi disputaverunt, Itaque patet, l. l. in Soph. Ant. accusativi graeci usui ac naturae plane convenienter ἀνθ' ὧν legi, quod sane, sicut illud latinum „quod“, nostro sermone per „weil“ transferre licet. Hermanni vero interpretationi atque lectioni hujus loci:

ἀνθ' ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω,
ψυχήν τ' ἀτίμως ἐν τάφῳ κατῴκισας,

minime assentiri potui, quia nimis artificiosa esse mihi videbatur, ait enim in sua editione: „Procedit compositio verborum hoc modo: ἀντὶ τούτων οὓς ἔχεις τοὺς ἄνω καὶ ὧν ψυχὴν ἐν τάφῳ κατῴκισας, κάτω βαλὼν ἕνα ἐκ τῶν σῶν σπλάγχνων: pro Antigona quam vivam adhuc habes, et cujus vitam sepulcro destinasti ad inferos ex tuo ipsius aliquem semine natum mittens.“ Neque enim οὓς ἔχεις τοὺς ἄνω recte dici posse puto pro „quos vivos adhuc habes,“ et nimis contorte cum praecedentibus verbis ἕνα ἐκ τῶν σῶν σπλάγχνων conjungi βαλὼν κάτω, quod participium interpositum inter ἔχεις et κατῴκισας non idem, quod aut verbum ἔχειν aut κατοικίζειν habet, objectum sed longe remotum habere vult Hermannus. Itaque Erfurdtianam lectionem praetuli a Schneidewino receptam. Perperam vero Schneidewinus in Soph. Oed. Col. 967:

ἐπεὶ καθ' αὑτόν γ' οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοὶ
ἁμαρτίας ὄνειδος οὐδὲν, ἀνθ' ὅτου
τάδ' εἰς ἐμαυτὸν τοὺς ἐμούς θ' ἡμάρτανον,

attractionem esse statuit, quod et interpretatio et constructio grammatica vetant. Verus enim loci sensus hic mihi esse videtur, „nullum peccati opprobrium mihi invenias, propter quod (vel planius: ad quod luendum) haec in me peccavi“. Neque si per attractionem ἀνθ' ὅτου explicares, ita ut esset pro ἀντὶ τούτου, ὅ, fieri posset, ut τάδε referretur ad relativum ὅ. —

Venimus ad ea, quae Bernhardy in synt. gr. gramm. p. 302 et p. 303 disseruit de constructione, quae a plerisque grammaticis attractio inversa vocatur, cujus exempla ex tragicis poetis supra collegi.

Quam attractionem Bernhardy l. l. explicans simillimam ejus judicat constructionis esse, in qua substantivum, ad quod refertur pronomen relativum, in fine sententiae relativae ponitur, atque hoc discrimen intercedere inter utrumque genus statuit, ut in illo genere, de quo nunc disputamus, substantivum, quod se applicat sententiae relativae, relativo praecedat, in hoc vero substantivum subsequatur. Attractionem autem talem esse, ut substantivum accommodetur sequenti relativo, atque pronominis relativi vim esse talem plane negat, ut in eundem casum adducat, quem ipsum habeat, substantivum praecedens. Sed apud Sophoclem duos locos observavimus, ubi adverbia accommodantur inter se; in Phil. 726 et Oed. Col. 1226. qui viri doctissimi sententiam refutare mihi videntur. Atque postremum quidem locum perperam explicat in synt. gr. gr. p. 300. annot. 68. innitens, ut ait, subtili et per usum confirmata observatione Apollonii in anecd. Bekkeri p. 597. qui docere studuit, adverbia in θεν desinentia aliam significationem habere ac forma requireret. Sed exempla ab Apollonio l. l. allata mihi non potuerunt persuadere, formam θεν in adverbiis nihil significationis afferre; atque certe puto, Graecos semper certum discrimen constituisse inter illa adverbia in θεν desinentia et ea adverbia aut verba, quae illo suffixo θεν carent, exceptis locis, in quibus attractio usurpatur. Sed etiamsi hoc viro illi illustrissimo concederemus, repugnaret tamen alter locus in Phil. 726. ejus explicationi attractionis inversae:

πατρῴαν ἄγει πρὸς αὐλὰν
Μηλιάδων νυμφᾶν,
Σπερχειοῦ τε παρ᾽ ὄχθαις, ἵν᾽ ὁ χάλκασπις ἀνὴρ θεὸς πλάθει θεοῖς.

Qui locus docet, notionem, quae motum significat, commutatam esse cum notione, quae quietem notat, propter sequens adverbium relativum: his igitur locis fretus in Bernhardyi explicatione supra commemorata jure offendi. Huc accedit, quod Hermannus auctor locupletissimus mihi subvenit ad Vig. p. 788 an. 431: „Omnino Graeci adverbia, quae motum significant, cum „iis, quae quietem notant, per attractionem, quae vo-

„catur, commutare solent. Eur. Iph. Taur 118. χωρεῖν χρεὼν, ὅποι χθονὸς κρύψαντε λήσομεν δέμας i. e ut „Porsonus monuit, quem vide hac de re ad Hec. 1070: „ἐκεῖσε ὅπου. Alio modo in Iph. Taur. 113 ὅρα δὲ „γ' εἴσω τριγλύφων, ὅποι κενὸν δέμας καθεῖναι, quod „Seidlerus ibi rectius, quam Personus sic explicat ὅπου „κενόν ἐστιν, ὥστε ἐνταυθοῖ δέμας καθεῖναι. Vide eun„dem Seidlerum ad eamdem fabulam v. 348". Sed non solum adverbia motum significantia cum iis, quae quietem designant, per attractionem commutantur, sed etiam adverbia, quae diversum motum significant, inter se commutantur ut in illo Soph. Oed. Col. 1226. κεῖθεν pro κεῖσε per attractionem legitur. Dein nolim locum Eur. in Iph. Taur. 118 suppeditari exemplum illius attractionis, quoniam ut Seidlerus jam monuit ad hunc locum, ὅποι vim suam retinet et ad κρύψαντε referri debet: quam relativi relationem ad proximum verbum supra jam leviter perstrinximus cf. Soph. Ant. 228:

τάλας, τί χωρεῖς οἷ μολὼν δώσεις δίκην; —

Denique commemorabo locum, quem Hermannus, in quo attractionem indicaret, ex tragicis petiit: Sophocl. in fine Ajacis. Quem locum postquam prius sic constituit in editione sua:

τῷδ' ἀνδρὶ πονῶν τῷ πάντ' ἀγαθῷ
κοὐδενί γ' ᾧτινι
λῴονι θνητῶν
Αἴαντος, ὅτ' ἦν, τότε φωνῶ,

Dindorfii emendationem recepit in Vig. ann. p. 890.

κοὐδενί πω λῴονι θνητῶν

omisso versu postremo. Haec verba exemplum attractionis l. l. citans explicat „i. e. οὗ οὐδείς πω λῴων ἦν, in quo recte Matthiaeus negat admitti posse ejusmodi attractionem, qua omisso genitivo, qui comparationem indicat, constructio praecedentium continuetur; neque ulla analogia in graeco sermone reperitur, qua tale quid nitatur. Sequentia enim exempla ab Hermanno l. l. allata diversi plane generis sunt, ut in Plut. Cat. maj. 12 ἐπ' Ἀντίοχον τὸν μέγαν συνεξῆλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα φοβήσαντα Ῥωμαίους ὡς οὐδένα ἕτερον μετ' Ἀννίβαν, attractio est, quae solet iu comparationibus, de qua mox disseram, et alterius

loci ratio in Herod. VII, 145. *τὰ δὲ Γέλωνος πρήγματα μεγάλα ἐλέγετο εἶναι οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν τῶν οὐ πολλὸν μέζω*, redit ad formulam frequenter usurpatam *οὐδεὶς ὅστις οὐ*. Qua formula si uti velles in Sophoclis l. c., scribendum esset *κοὐδενὸς οὗτινος οὐ λῴονι θνητῶν;* sed satis intelligere posse mihi videor scripturam ab omnibus fere editoribus receptam: *κοὐδενί πω λῴονι θνητῶν*, dummodo statuatur comparativi illam formullam cum *οὐδεὶς* superlativam notionem habere. Quodsi ita statuere nobis licet, excusari potest, quod postquam verbo *πονῶν* jam appositum est objectum *τῷδ᾽ ἀνδρὶ*, negative continuatur, cui illud *πονεῖν* tribui non possit *κοὐδενί* ..... si quidem haec negativa formula nihil exprimit, nisi superlativum qualitatis *ἀγαθὸς* de Ajace praedicandae.

Restat tandem, ut usum relativi *οἷος* et similium explicem. Et primum disserendum nobis erit, qualis sit attractionis ratio, si relativum *οἷος* praedicati loco est: ut enim in nostro sermone interdum (veluti nobis dicere licet: Ich wünsche einen Mann, wie Dich i. e. wie Du bist), ita in graeca lingua saepissime res comparanda cum re, quae comparat, in constructione grammatica, quasi altera alteri plane par sit, aequari solet ita, ut utrumque substantivum eundem casum obtineat, quamvis hoc vero sensui verborum repugnet. Atque huic substantivorum aequabilitati consentaneum plane est, praedicatum quoque i. e. relativum *οἷος* accommodari subjecto suo, quod eundem casum, quem praecedens substantivum comparandum habet jam induit. Neque non patebit ex hujus usus interpretatione, verbum substantivum, quod est in ejusmodi sententia relativa, omittendum esse, ut vera constructione neglecta alterum substantivum alteri apponatur, ut in Soph. Trach. 444.

*οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει,*
*κἀμοῦγε· πῶς δ᾽ οὐ χἀτέρας οἵας γ᾽ ἐμοῦ;*

et in Eur. Or. 1112:

*τίνας, Φρυγῶν γὰρ οὐδέν᾽ ἂν τρέσαιμ᾽ ἐγώ.*
*οἵους ἐνόπτρων καὶ μύρων ἐπιστάτας.*

Quum autem in tali usu relativi *οἷος* semper fere demonstrativum *οἷος* omitteretur, adjectivi loco relativum *οἷος* habere Graeci solebant, ut jam ille Euripidis

modo citatus locus docet, ad quem cf. Ar. nub. 1109 (ed. Bergk.) Duplex vero illa attractio cur tamen nonnunquam, praesertim a comicis poetis negligatur et relativum *οἷος* tantum praecedenti substantivo accommodetur, nonnulla attulit Bernhardy synt. gr. gramm. p. 299. — Adjiciam locum in Eur. Her. 759.

*δεινὸν μέν πόλιν ὡς Μυκήνας*
*εὐδαίμονα καὶ δορὸς*
*πολυαίνετον ἀλκᾷ*
*μῆνιν ἐμᾷ χθονὶ κεύθειν,*

in quo duae res inter se comparatae eundem casum obtinent aeque ac supra descripsi: pro pronomine autem relativo *οἷος* est adverbium relativum *ὡς*. —

Tum plane eodem modo facile explicantur ii loci, in quibus non verbum substantivum, sed aliud quod verbum inest sententiis relativis, quae comparationi inserviunt, sed ita, ut unum verbum ad utrumque orationis membrum pertineat. In quo si res comparanda non nominativum, sed alium casum obtinet, saepe altera res quacum illa comparatur, eodem casu afficitur, ut in Soph. Oed. Col. 870:

*τοιγάρ σέ τ' αὐτὸν καὶ γένος τὸ σὸν θεῶν*
*ὁ πάντα λεύσσων Ἥλιος δοίη βίον*
*τοιοῦτον, οἷον κἀμέ, γηράναι ποτέ.*

pro *οἷον κἀγὼ ἐγήρανα*, et aliae particulae pro *οἷος* pronomine inveniuntur in Soph. Aj. 488 et in Soph. Oed. Col. 734:

*πρὸς πόλιν δ' ἐπίσταμαι*
*σθένουσαν ἥκων, εἴ τιν' Ἑλλάδος, μέγα:*

i. e. *σθένουσαν, εἴ τις Ἑλλάδος σθένει.* Qui usus etiam in aliis linguis reperitur, ut in latino sermone, sicuti in Cicerone legitur de or. I, 18,82: „quum hoc nescio quomodo apud eos increbruisset, me in causis majoribus sicuti te solere versari, pro se quisque ... disputabat“. Ejus modi tamen attractio negligi solet, si res, quacum altera comparatur, tanta vi exaggeratur, ut verbum commune duobus sententiis denuo per se huic subjecto tribui et suppleri debeat: quales sunt loci, in Aesch. Ag. 1351 in Soph. Aj. 525. Oed. Col. 565. Eur. Her. 576. Med. 810. —

## § III.

Procedimus ad alium usum, cui vulgo attractionis nomen imponunt, quod perperam tribui sequenti paragrapho demonstrare conabor. Quem usum definiunt esse anticipationem subjecti ex membro orationis, quod objecti loco est verbis sentiendi, declarandi atque similibus, ita ut hoc subjectum transferatur in sententiam primariam et objectum quasi apponatur verbo sententiae primariae. Ejusmodi loci in Aeschyli fabulis hi inveniuntur: Sept. 613. 640. Ag. 468. 1359. Eum. 298. Prom. 92. 213. 295. 306. 475. 644. 1097. Quibus in locis objectum illud, quod ex uno membro in alterum translatum esse dicitur, sic collocari solet, ut sententia, quae et ipsa objectum verbi primarii est, statim subsequatur, exceptis locis in Prom. 475, cujus rationem suo tempore interpretabor, et in Prom. 213, ubi verbum primarium sententiam relativam sequitur. In eo autem conspirant omnes loci, quod enunciata, quae pendent a verbo primario, interrogationes sunt indirectae neque usquam in canticis reperiuntur.

Apud Sophoclem permulti loci ejusmodi leguntur: Oed. Col. 135. 571. 1198. 1218. 1424. Trach, 2. 98. 297. 321. 430. 625. 869. 1080. Ant. 58. 310. 940. 1242. Elect. 332. 520. 552. 750. 948. 1003. 1101. 1309. 1427. Aj. 103. 118. 501. 785. 835. 890. 1141. Phil. 444. 493. 505. 534. 544. 549. 573. Oed, R. 15. 224. 302. 741. 780. 842. 926. 1172. 1271. 1392. In quibus plerumque eadem verborum collocatio reperitur, quam apud Aeschylum observavimus; in nonnullis autem locis ea est collocatio verborum, ut primum substantivum objectum, tum continuo enunciatum totum, quod objecti loco est, ponatur, cui a quo utrumque objectum pendet, verbum primarium succedit: v. Soph. Oed. Col. 571:

*σὺ γάρ μ᾽ ὅς εἰμι, κἄφ᾽ ὅτου πατρὸς γεγώς,*
*καὶ γῆς ὁποίας ἦλθον, εἰρηκὼς κυρεῖς*

et El. 1101. Phil. 544. Oed. R. 741. — Dein notandum est, distrahi illud substantivum objectum ita, ut verbum, quod amplius describat atque explicet hoc objectum, addatur in enunciato subjuncto, ut in Soph. Trach. 98:

*῞Αλιον ῞Αλιον αἰτῶ*
*τοῦτο καρῦξαι, τὸν Ἀλκμή-*
*νας, πόθι μοι πόθι παῖς*
*ναίει ποτέ.*

et ejusdem fabulae v. 430. 869. Oed. Col. 1424. Phil. 549. Aj. 835. El. 1427. — Apud Sophoclem autem, quamquam pleraque enunciata illa, quae pendent a verbo primario, interrogationes indirectae sunt, sex tamen vel septem loci leguntur, ubi aut ὅτι conjunctio aut ὡς, quam nos voce „dass" transferre debemus, sententiam alteram alteri subjungit. —

Atque in Euripidis fabulis hi loci leguntur. Hipp. 419. 1240. 1388 Iph. Taur. 278. 332. 463. 1056. Hel. 318. 744. Alc. 291. 669. 792. Cycl. 88. Ion. 699. 1281. 1574. Herc. Fur. 832. 1108. El. 183. 428. 531. Her. 733. Rhes. 602. 856. Suppl. 299. 690. Troad. 465. 916. 924. Phoen. 36. Med. 37. 39. 249. 283. 444. 664. 1106. Andr. 635. 1029. Iph. A. 526. 866. Hec. 967. Or. 1566. et in versu corrupto Iph. A. 649 Hermannus probabiliter conjecit:

οὐκ οἶδά σ' ὅτι φῄς, φίλτατ', οὐκ οἶδ', ὦ πάτερ.

De collocatione verborum in his locis notandum est, plerumque enunciatum subjunctum post sententiam primariam poni solere ita, ut accusativus, qui a verbo primario dependet, praecedat nullo alio verbo interjecto. Tribus vero in locis, sicuti jam ad Sophoclis locos diximus, accusativo qnidem continuo succedit enunciatum subjunctum, verbum autem finitnm sententiae primariae in fine orationis ponitur: in Herc. Fur. 1108 Troad. 924. Rhes. 602. Raro quoque locos invenimus, in quibus enunciata subjuncta non exhibent interrogationes indirectas; nusquam autem conjunctionem ὅτι adhibitam videmus. Adjungam eos locos, ubi talis distractio reperitur, qualem jam apud Sophoclem descripsimus, nominis et earum vocum, quae ad nomen pertinent: Troad. 924

τὸν ἐνθένδ' ὡς ἔχει σκέψαι λόγον.

Iph. Taur. 463. 1056. Herc. Fur. 832. Hipp. 1388. —

Nunc omnia tragicorum exempla perlustrantes videmus in ejusmodi locis pauca atque certa verba primaria in tragicorum usu fuisse. Verbum dicendi re-

peritur his locis: Aesch. Sept. 613. Prom. 213. Prom. 614. Soph. Oed. Col. 571. Trach. 98. 430. El. 520. 552. 750. Phil. 544. 573. Oed. R. 741. 780. 842. 926. 1172. Eur. Iph. Taur. 332. Alc. 669. Rhes. 602. Suppl. 690. Med. 249. Andr. 635. Iph. A. 526. Hec. 967. Tum verba, quae significant percipere vel oculis vel animo, saepissime leguntur ut ὁρᾶν, δέρκεσθαι, λεύσσειν, γιγνώσκειν, σκοπεῖν, ξυνιέναι: Aesch. Ag. 468. Prom. 92. 295. 306. 1097. Soph. Oed. Col. 135. 1198. 1218 1424. Ant. 940. Elect. 1003. Trach. 869. 1080. Aj. 118. 501. 785. 890. Phil. 505. Oed. R. 15. 1271. Eur. Hipp. 1388. Jph. Taur. 278. Hel. 744. Alc. 291. Jon 1281. Her. 733. Troad. 465. 924. Elect. 183. 428. 531. Med. 444. Herc. Fur. 832. 1108. Dein similes notiones, ut μανθάνειν, πυνθάνεσθαι, ἱστορεῖν, ἐρευνᾶν, εἰδέναι: Aesch. Sept. 640. Eum. 298. Soph. Trach. 2. 321. 625. Elect. 332. 948. 1101. Ant. 310. Aj. 835. Phil. 444. 534. Oed. R. 224. 302. Eur. Jph. Taur. 463. Alc. 792. Cycl. 88. Jph. A. 866. Phoen. 36. Med. 664. Hel. 318. Contra verbum audiendi rarissime occurrit apud tragicos, quattuor enim ejus exempla sunt: in Soph. Aj. 1141. Phil. 549. Eur. Troad. 916. Or. 1566. Dein saepius leguntur verba metuendi: Soph. Trach. 297. Elect. 1309. 1427. Phil. 493. Eur. Hipp. 419. Jon. 699. Rhes. 856. Med. 37. 39. 283. Andr. 1029. Ter tantum verbum δείκνυμι obviam fit: Soph. Ant. 1242. Oed. R. 1292. Eur. Jon. 1574. Paucissimi igitur loci restant, in quibus verba primaria non sunt in numero eorum, quos modo attuli: nunc vero, quoniam de nonnullis horum verborum sequenti paragrapho accuratius disputare meum erit, omittam hunc locum. — Nunc si quaerimus de frequentia usus singulorum scriptorum et conferimns septem fabulas Sophocleas cum septem Aeschyleis, Sophoclem quater tanto amplius structura, de qua usque adhuc diximus, usum esse patet, quam Aeschylum, cujus Prometheus si excipiatur, pauci loci restant, qui valde tenue nostri usus initium exhibent. Euripides autem, quum undeviginti ejus fabulae exstent, tamen totidem tantum exempla structurae praebet, quot Sophocles, cujus sunt septem tragoediae: accedit apud Euripidem frequentia talium enunciatorum subjunctorum, quae paene superfluum neque aliquid novi afferre vi-

dentur. Hipp. 1388: ὁρᾷς με, δέσποιν᾽ ὡς ἔχω, τὸν ἄθλιον; Alc. 291. 792. Cycl. 88. Herc. Fur. 832. Troad. 916. 924. In quo conspirat cum Aristophanis vulgari genere orationis communi sensui hominum accommodato: in Equitibus exempli gratia enunciata ejusmodi haec leguntur: v. 153. 852. 871. 1021. 1041. Quod in Sophorlis fabulis non invenimus, qui per enunciata illa superaddita semper novam plane sententiam atque rei descriptionem adjungit sententiae primariae. —

## § IV.

Hac paragrapho usum, quem ex tragicorum poetarum fabulis modo eruimus, nosmet ipsi primum explicare volumus, in quo jam satis larga occasio dabitur grammaticorum sententias diversas recensendi ac refutandi; tum grammaticorum disputationes accuratius perlustrare atque perquirere conabimur. Dixerunt autem de hac re Rost in gramm. gr. § 122,8 p. 642. et p. 643, tum § 122, 10 p. 649, denique § 123 b. 9, p. 671; — Kruegerus in gramm. gr. § 61, 6 p. 468 et p. 469; Buttmannus p. 474, § 151, I, b. Bernhardy in synt. gr. p. 466 et p. 467. —

Ego hunc usum per attractionem explicandum esse nego, sed ita eum definiri volo: quum verbum sentiendi, declarandi etc. habuerit jam nominis objectum, addi atque subjungi interdum ad sententiam amplius describendam totum enunciatum, quod et ipsum est objectum illius verbi et aliquo modo referatur necesse est ad praecedens nominis objectum. Et haec relatio quum ejusmodi esse potest, ut hoc nominis objectum in enunciato subjuncto subjectum fiat, qua in re grammatici attractionem esse opinantur, tum saepe quoque objectum idem est et in sententia primaria et in enunciato subjuncto, veluti in Soph. Elect. 1383; Soph. Aj. 351:

> ἴδεσθέ μ᾽ οἷον ἄρτι κῦμα φοινίας ὑπὸ ζάλης
> ἀμφίδρομον κυκλεῖται.

cf. quoque Aesch. Eum 307. 577. Soph. Ant. 1077. Elect. 973. Oed. R. 604. Eur. Hipp. 1181. Hel. 1396. Herc. Fur. 295. Phoen. 1678. Praecipue vero locum animadverti velim in Soph. Oed. R. 767:

*δέδοικ' ἐμαυτόν, ὦ γύναι, μὴ πόλλ' ἄγαν*
*εἰρημέν' ᾖ μοι, δι' ἅ νιν εἰςιδεῖν θέλω,*

in quo nominis objectum *ἐμαυτὸν* in enunciato altero fit dativus, qui in passivo personam, a qua activa actio oritur, significare solet. Ex quo patet, non id referre, num nominis objectum sit subjectum sequentis enunciati, sed referatur oportere aliquo modo hoc enunciatum ad praecedens nomen. Itaque quotiescunque verbum aliquod declarandi etc. cum aliquo nominis objecto conjunctum sententiam non plane dilucidam reddere videbatur, tale enunciatum Graeci adjiciebant, quod et ipsum verbi objectum aliquid praedicaret aptum ad objectum praecedens definiendum atque illustrandum. Quae constructio in recentioribus linguis aut rarissime aut omnino non obvenit. — Grammatici autem in graeco usu explicando attractionem statuerunt, quae in eo versaretur, ut subjectum enunciati subjuncti attraheretur ad verbum sententiae primariae ejusque objectum fieret, neque ullum discrimen intercedere censuerunt inter hanc structuram verborum et illam, ubi talis attractio subjecti, quod in enunciato subjuncto est, non fit. Graeci vero certam atque definitam vim in hoc usu, de quo disserimus, posuerunt: quum enim verbo sentiendi etc. objectum nominis tribuebant, hoc unicum objectum primum intelligi volebant, ad quod dein demum describendum atque explicandum enunciatum totum sequebatur. Itaque illam rem aut personam, quae primum objectum est, longe majorem gravitatem habere ad verbum sententiae primariae, quam quod succedens enunciatum exprimit, nostra structura satis indicatur. Contra si exempla conferas a Kruegero in gramm. gr. § 61, 6 ann. 1 allata, discrimen facile invenies, sicuti in illo Xenophontis: *Οὐχ ὁρᾷς οἱ εἰς τὸν τετρημένον πίθον ἀντλεῖν λεγόμενοι ὡς οἰκτείρονται, ὅτι μάτην πονεῖν δοκοῦσιν;* non quaeritur, num *οἱ λεγόμενοι* ab aliqua persona percipiantur animo atque spectentur, sed illud *οὐχ ὁρᾷς* pertinet ad totam sententiam percipiendam et in parenthesi quodammodo positum est, nominativus autem *οἱ λεγόμενοι* quasi in exclamatione praecedit enunciato *ὡς οἰκτείρονται*, ita ut *οἱ λεγόμενοι* non conjunctum cum verbo *ὁρᾶν* per se solum exaggeretur.

Quod item elucet in Soph. Oed. R. 1524:

*ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,*
*ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ᾔδη καὶ κράτιστος ἦν ἀνήρ,*
*οὗ τίς οὐ ζήλῳ πολιτῶν ταῖς τύχαις ἐπέβλεπεν,*
*εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς συμφορᾶς ἐλήλυθεν,*

ubi *Οἰδίπους ὅδε* maxima cum vi, non *λεύσσετε Οἰδίπουν* exaggeratur. — Itaque illa nostra structura apta erat ad duas vel plures res inter se opponendas per unum et idem verbum, ut in Aesch. Prom. 475:

*κακοῖς ἀθυμεῖς καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις*
*εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος,*

ubi quum Prometheus ad saxum vinctus multas res a se inventas hominum causa commemoravisset, chorus satis lepide ejus personam cum illis rebus conferens respondit: *καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις εὑρεῖν* et te ipsum invenire non potes. Porro conferas Soph. Ant. 58. Oed. R. 15. 842. Aj. 1141. Eur. Hipp. 419. Jon. 1574. Suppl. 690. Andr. 635. Jph. A. 526. Hec. 967. — Denique vero totius usus explicationem meam comprobari puto simili Graecorum usu, in quo infinitivus additus ampliorem descriptionem atque definitionem substantivi praecedentis exhibet, quod est objectnm aut subjectum verbi primarii aeque atque ille infinitivus: ut in Soph. Ant. 490:

*καὶ γὰρ οὖν κείνην ἴσον*
*ἐπαιτιῶμαι τοῦδε βουλεῦσαι τάφου,*

ubi et genitivus *τοῦδε τάφου* et infinitivus *βουλεῦσαι* dependent a verbo *ἐπαιτιῶμαι*, ita ut *ὁ τάφος* gravior notio sit, ad quam describendam infinitivus additur. Cf. quoque Soph. El. 1277. Phil. 62. Trach. 56. Aj. 1200. Oed. Col. 1211. 1755. Eur. Rhes. 288. Med. 659. 1388. Phoen. 195. Or. 1138. Andr. 94. —

Atque ejus usus, quem tractamus, amplificationem atque quandam mutationem mox factam esse, persuasissimum mihi est: primum enim, ut opinor, enunciata illa addita ad describendum accusativum praecedentem tam parvi erant momenti, ut nihil fere interesset, utrum adderentur an omitterentur, quod in multis tragicorum locis elucet, ubi jam ex tota oratione accusativi descriptio accuratior percipi atque suppleri animo potest Sed occurrunt etiam loci, in quibus accuratiore ejusmodi adumbratione plane opus est ad sententiam di-

lucide explanandam: quos locos praecipue commovisse puto grammaticos ad attractionem statuendam. Ego vero alia interpretatione in his locis atque in ceteris opus esse nego: rite enim ejusmodi accusativi dependent ab iis verbis, quae in talibus locis occurrunt, quibus verborum objectis enunciata sequentia sane necessariam quidem adumbrationem afferunt, sed ita, ut objectum nominis semper majori vi ac pondere exaggeretur, quam sequens enunciatum. Ejusmodi loci apud tragicos sunt: Soph. Aj. 1141; Phil. 549. Eur. Or. 1566 aliique, de quibus infra disseram. Accedunt autem ad similitudinem constructionis participii ut in Soph. Elect. 294:

*τάδ' ἐξυβρίζει, πλὴν ὅταν κλύῃ τινὸς*
*ἥξοντ' Ὀρέστην·*

cf. ejusdem fabulae v. 951. Phil. 615. Eur. Cycl. 441 ubi pari modo accusativi rite dependent a verbis audiendi, sententiam autem satis demum explanant participia addita, sicuti in nostro usu enunciata per conjunctionem *ὡς* vel *ὅτι* adjuncta. — Hac occasione oblata notabo locum in Aesch. Ag. 1331:

*ταύτην ἐπαινεῖν πάντοθεν πληθύνομαι,*
*τρανῶς Ἀτρείδην εἰδέναι κυροῦνθ' ὅπως,*

ubi quas comparavi modo constructiones mixtae inveniuntur, nam satis audacter pro *ὅπως κυρεῖ* participium positum est servato adverbio relativo *ὅπως*. — Locum vero in Eur. Hipp. 1240:

*ἀτὰρ τοσοῦτόν γ' οὐ δυνήσομαί ποτε*
*τὸν σὸν πιθέσθαι παῖδ' ὅπως ἐστὶν κακός*

non esse in eorum numero, quos modo descripsi, persuasum mihi habeo primum, quod *πιθέσθαι* verbum accusativum personae nunquam secum habere cognovi nec particulam *ὅπως* pro *ὡς* significantem „dass" post verba sentiendi aut declarandi poni posse existimo. Rectam autem explicandi viam suppeditare mihi videtur haec conjunctio *ὅπως*, quae quum non quadret in verbum *πιθέσθαι*, constructionem repente mutatam esse consentaneum est, qua indicaretur, servum quasi veritum esse, ne nimis libere aperiret sententiam suam de morte Hippolyti, quam Theseo nuntiaverat. Primum enim hoc dicere velle videtur: nun-

quam fore, ut ipse credere possim, Hippolytum pravum fuisse, sed haesitat in media oratione, quia domino suo filii mortem exoptatam esse non ignorat. Itaque variata oratione verecundius perrexit *ὅπως ἐστὶν κακὸς*, quasi praegressum esset verbum percipiendi et haec fuisset structura verborum: nunquam fore, ut intelligere possim, quomodo filius sit pravus. Duo similes sunt loci in Soph. Phil 55 et Soph. Aj. 556:

*ὅταν δ' ἵκῃ πρὸς τοῦτο, δεῖ σ' ὅπως πατρὸς*
*δείξεις ἐν ἐχθροῖς, οἷος ἐξ οἵου 'τράφης,*

ad quem locum Hermannus in editione Erfurdtiana annotat: „Pro *δεῖ σε δεικνύναι* mutata constructione et conjunctis duabus loquutionibus, hac, et altera *ὅρα ὅπως δείξεις*, dicitur *δεῖ σ' ὅπως δείξεις*.“ — Sed quam parum difficultas loci Euripidis intellecta sit, docet annotatio Valckenaeri ad h. locum: „Ob verborum structuram haec Euripidis attulit L. Kuster in Ar. Plut. 55 *πυθοίμεθ' ἂν τὸν χρησμὸν ἡμῶν ὅτι νοεῖ*,“ quasi quod voces *πυθέσθαι* et *πιθέσθαι* una tantum littera inter se sunt diversae, constructio quoque horum verborum similitudinem habere deberet. —

Dein singula nobis inspicientibus in eam usus explicationem, quam ego protuli, apte quadrare facile cognoscere licet, veluti in iis locis, ubi in verborum sententiae primariae objectis substantivi ejusque definitionum distractio quaedam facta est. In quo si usus, quem tractamus, per attractionem explicetur, difficile sit explanare, cur ex enunciato non totum subjectum, sed solum pars quaedam extollatur. Primum autem inspicias hos locos: Aesch. Prom. 92. 644 Soph. Phil. 549 . Eur. Iph. Taur. 463. 1056 in quibus solum nomen verbo apponitur, aliae vero hujus nominis definitiones i. e. adjectiva aut appositiones subsequuntur in eo enunciato, quod ipsum sua natura ampliorem definitionem praecedenti objecto praebet, cf. Aesch. Prom. 92:

*ἴδεσθέ μ', οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.*

Dein conferas duos locos in Soph. Trach. 430:

[illegible] *πρὸς θεῶν, φράσον, φίλη*
*δέσποινα, τόνδε, τίς ποτ' ἐστὶν ὁ ξένος*

et Soph. Trach. 869:

ξύνες δὲ
τήνδ' ὡς ἀηδὴς καὶ συνωφρυωμένη
χωρεῖ πρὸς ἡμᾶς γραῖα σημανοῦσά τι,

ubi loquentis personae primum intererat, personam aliquam breviter describere vel potius indicare, itaque dicitur solum pronomen demonstrativum: φράσον τόνδε et ξύνες τήνδε, postea vero quum sibi accuratius eam describendam esse intelligat, persona loquens descriptionem continuat per enunciatum subjunctum, in quo substantiva quoqne pertinentia ad τόνδε et τήνδε i. e. ξένος et γραῖα addendi occassio data erat. Ad eorum similitudinem accedit locus in Soph. Oed. C. 1424:

ὁρᾷς τὰ τοῦδ' οὖν ὡς ἐς ὀρθὸν ἐκφέρει
μαντεύμαθ',

nam ad certe definiendam substantivam jam notionem τὰ τοῦδε in enuntiato subjuncto μαντεύματα adjungitur. Neque dissimilis est locus in Soph. Trach. 98:

Ἅλιον, Ἅλιον αἰτῶ
τοῦτο καρῦξαι, τὸν Ἀλκμή-
νας, πόθι μοι πόθι παῖς
ναίει πότε.

In Eur. Herc. Fur. 832:

γνῷ μὲν τὸν Ἥρας οἷός ἐστ' αὐτῷ χόλος,

in sententia primaria, quia magna cum animi concitatione dicitur, plane non videmus objectum verbi perfectum, nam primum interfuit, significare aliquid factum iri ab Hera, proprium igitur substantivum postea adjici occasione oblata satis videbatur. Ad quem locum confereas Soph. El. 1427:

μηκέτ' ἐκφοβοῦ
μητρῷον ὥς σε λῆμ' ἀτιμάσει ποτέ.

Sed plane diversi generis sunt loci in Eur. Hipp. 1388

Ὁρᾷς με, δέσποιν', ὡς ἔχω, τὸν ἄθλιον;

et Troad. 924:

τὸν ἐνθένδ' ὡς ἔχει σκέψαι λόγον,

nam enunciata subjuncta ὡς ἔχω et ὡς ἔχει tam parvi momenti sunt, ut appositiones atque supplementa accusativi praecedentis non referantur et construantur cum illis enunciatis, sed eundem casum obtineant, quem praecedens objectum, quasi omnino absit enunciatum ὡς ἔχω, ὡς ἔχει. Accedit in Troad. 924, quod verbum σκέψαι sequitur enunciatum ὡς ἔχει.

Denique bene nostra ratione explicari potest illud vividum dicendi genus, quod est in Aesch. Prom. 306:

*δέρκου θέαμα, τὸν δε τὸν Διὸς φίλον,*
*τὸν συγκαταστήσαντα τὴν τυραννίδα,*
*οἵαις ὑπ᾽ αὐτοῦ πημοναῖσι κάμπτομαι,*

et in Soph. Trach. 1080 et Ant. 940, nam minime artum connexum statuimus inter sententiam primariam atque eam, quae subjungitur, ita ut facile, si res postulet, tertiam personam cum prima mutare liceat: quod quomodo explicetur commode ab iis, qui attractionem ponunt, non intelligo; rectius enim pronomen *ἐμὲ* additum videretur attractione posita, sicuti videmus in Eur. Hipp. 1388:

*ὁρᾷς με, δέσποιν᾽, ὡς ἔχω, τὸν ἄθλιον;*

Quod autem in plerisque tragicorum locis interrogationes indirectas succedere observavimus, ejus rei una aliqua causa mihi videtur esse in poetarum more alacriter dicendi, veluti verbo substantivo omisso additum tantum pronomen interrogativum saepe invenimus: Aesch. Eum. 298. Soph. Aj. 118:

*ὁρᾷς, Ὀδυσσεῦ, τὴν θεῶν ἰσχὺν ὅση;*

ejusdem fabulae v. 103. 890. Oed. R. 926. Oed. Col. 1218. tum quod Hermannus probabiliter conjecit in Aesch. Eum. 106:

*ὅρα δὲ πληγὰς τάσδε καρδίας ὅθεν,*

et cf. Eur. Phoen. 1375:

*πολλοῖς δ᾽ ἐπῄει δάκρυα τῆς τύχης ὅση.*

Recenseamus nunc, quae a grammaticis perperam nec satis apte disputata esse nobis videntur praeter ea, quae jam in universum diximus.

Et quod Buttmannus dicit in gramm. gr. § 151, I, 6 de collocatione verborum, cujus exempla ex tragicis jam attuli ut in Soph. Phil. 544:

*ἐκέλευσ᾽ ἐμοί σε ποῦ κυρῶν εἴης φράσαι,*

nostra ratione facile intelligi potest: opus enim videtur accusativum in ejusmodi locis, quum non valeat ad sententiam absolvendam, statim circumscribere pluribus verbis: qua de causa continuo accusativo enunciatum succedit, in quo illa circumscriptio et definitio accuratior inest.

Id vero semper obvenit in exemplis tragicorum, ut objectum, quod enunciato amplius explanatur, prae-

cedat atque sic plerumque, ut continuo subsequatur enunciatum illud. Cui regulae qui loci repugnant, ubi subsequens enunciatum ab objecto nominis pluribus verbis separatum est, ea mihi causa esse videtur, quod loquens persona primum indicare vult, eos, apud quos dicat, non ignorare sensum verborum, ita ut ampliore descriptione non opus sit, dein vero, ut in omnes partes verba sua intelligantur, adjungit enunciatum, quod rem dilucidiorem reddat. Hujuscc modi loci leguntur in Aesch. Prom 475:

κακοῖς ἀθυμεῖς καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις
εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος

de quo supra jam disputavimus, ubi dictis primum atque oppositis satis lepide iis, quae invenit hominibus, et quod se ipsum invenire nequeat, vera sententia absolvitur per enunciatum in fine positum ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος. Simili modo intelligitur facile locus in Soph. Elect 948: cf. quoque Oed. Col. 135. Elect. 1309. Aj. 103. 501. Phil. 493. 505. 573. Oed. R. 202. 780. Eur. Iph. T. 463. Rhes. 856. Phoen. 36. Med. 283. Hec. 967. —

Nunc multo difficilius nobis propositum est, ut Bernhardy auctoris locupletissimi gravissimique in rebus grammaticis sententiam quandam probabilem non esse demonstrare conemur: opus sane difficile et paene invidiosum, quia saepe a tironibus magna cum audacia atque protervitate auctores magistrosque cujusvis artis probatissimos vituperari temere atque improbari videmus. Sed nos quum assidua subtilique consideratione opus esse ad probandam nostram opinionem, si quando dissentiremus de Hermanni aut Beruhardy clarissimorum virorum sententia, non ignoraremus, tamen reverentia atque verecundia virorum illorum doctissimorum nos retinendos non esse duximus, quin libere diversam sententiam probare conaremur. Sed ut omittam hanc rem, quae per se ipsa facile cognosci poterit, dixit Bernhardy de nostro usu in synt. gr. gr. p. 466 et p. 467 [1]). Atque primum in eo offendo, quod Grae-

[1]) Haec suut ejus verba: „Dass hierin (id est in der Herübernahme eines abhängigen Subjectes zum Object des regierenden Satztheils) beide Satztheile einen genauen Zusammenhang bildeten, der durch Interpunktion, wie bisher geschah, nicht aufzuheben ist, lehrt

cos ita adamavisse statuit hanc attractionem, quae vocatur, ut quum verbum alium casum requireret, tamen similitudinis causa etiam tum essent usi accusativo: ejusmodi enim imitationis paene inconsideratae aliud exemplum in graeca oratione exstare vix crediderim. Neque intelligere possumus, quibus terminis imitatio hujusmodi sit circumseripta atque definita, quaeque causa fuerit, cur accusativi tales, qui vere non dependent a verbis, paucis tantum verbis appositi inveniantur, et quam ob rem denique haec ipsa verba ad ejusmodi imitationem magis idonea fuerint, quam alia. Itaque meum erit, eos locos, quos vir doctissimus l. l. protulit, singulos perlustrare et docere, quam bene conveniant ei rationi ac viae, quam intravi ab initio in explicando toto usu: quorum Eur. Hipp. 1251 cur plane aliter explicandum esse duxerim, jam supra exposui. In Ar Eq. 295. autem plane non intelligo, cur *σπεύδω σε εἰς τοὺς πλουσίους* dici nequeat a comico poeta, cujus consilium lepide jocandi in hoc satis elucet. Cleon enim minatur his verbis: celeriter te agitabo in divites, quod deinceps interpretatur *ὅπως ἂν ἐγγραφῇς* ut in eos ascribaris: de structura vero verbi *σπεύδειν* cum accusativo personae cf. Her. VIII, 46. Quod item judico de loco in Ar. nub. 145, quoniam constructio *ἀνέρεσθαί τινά τι* plane graeca est, conferas sinilem locum ex tragicis: Soph. Aj. 103.

*ἦ τοὐπίτριπτον κίναδος ἐξήρου μ' ὅπου;*

Alia quadam interpretatione indigere locus in Ar. nub. 1118 videtur, ubi verbum *φράζειν* cum accusativo personae legitur, cujus similes locos permultos suppeditare possum ex tragicorum fabulis collectos in praecedenti paragrapho: itaque de his nunc pluribus

---

die seltene Verstellung und Verschränkung des Objects Or. I Aristogit. p. 785 f. etc. Darauf deutet auch eine häufige Folge solcher Objectsaccusative, welche vom bestimmenden Verbum scheinbar abhängen und manchen Irrthum in die Lehre jenes Casus gebracht haben. Eur. Hipp. 1251 *τὸν σὸν πιθέσθαι παῖδ' ὅπως ἐστὺν κακός*, coll. Philem. inc. 16. Soph. Trach. 297 *ταρβεῖν τὸν εὖ πράσσοντα, μὴ σφαλῇ ποτε*, coll. Phil. 493 Herod. VIII. 63. Plut. Q. S. VII. 10, p. 715. D. Arist. Nub. 145 *ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης ψύλλαν ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας.* ib. 1118 *τοὺς κριτὰς ἃ κερδανοῦσι ... βουλόμεσθ' ὑμῖν φράσαι.* Eq. 933 *σπεύσω σ' ὅπως ἂν ἐγγραφῇς.*“

verbis disputabo. Quam speciem et amplificationem totius usus supra indicavimus, quae in eo versatur, ut enunciatum subjunctum addatur necesse sit ad praecedentem accusativum definiendum atque ad perficiendam sententiam, in verbis quoque dicendi reperitur conjunctis cum accusativo personae: conjungi autem etiam per se verbum dicendi cum accusativo personae, ex multis exemplis patet sicuti in Aesch. Ag. 1159. Soph. Aj. 764. Trach. 500. Phil. 442. Oed. R. 1120. 1129. 1150 etc. Quamquam in hoc ipso usu verborum dicendi discrimen inter singulos locos intercedit: veluti si enunciatum subjunctum nomen vel titulum definit, qui personae tribuitur aut tribui debet, in constructione plane nihil insoliti inest: huic enim personae accusativo conjuncto cum verbo dicendi jam ipsum nomen quasi inhaeret, ita ut enunciatum additum praebeat accessionem plane non necessariam, ut in Soph. Oed. Col. 571:

*σὺ γάρ μ' ὅς εἰμι, κἀφ' ὅτου πατρὸς γεγώς,*
*καὶ γῆς ὁποίας ἦλθον, εἰρηκὼς κυρεῖς,*

et Trach. 430. Phil. 573. Eur. Iph. Taur. 332. Neque locos eos a vulgari ratione usus discrepare existimo, in quibus *λέγειν τινὰ* per enunciatum amplius describitur, quod locum, ubi persona sit, exquirit aut designat, quod statin de loci designatione illud *λέγειν τινὰ* cogitare cogit, si nomen personae jam notum est: quod invenimus in Soph. Phil. 544:

*ἐκέλευσ' ἐμοί σε ποῦ κυρῶν εἴης φράσαι.*

dein in Soph. Trach. 98. Oed. R. 926 Eur. Rhes. 602. Contra enunciatum subjunctum si aliquid a persona factum continet, quo haec persona amplius describatur, tam arte cohaeret cum sententia primaria, ut omisso illo enunciato ommino non exsistat perfecta sententia: quod item, ut jam supra indicavimus, cadit in conjunctionem verbi *λέγειν* atque similium cum participio ut in Aesch. Ag. 650; et Soph. Oed. Col. 1580:

*Ἄνδρες πολῖται, ξυντομωτάτως μὲν ἂν*
*τύχοιμι λέξας Οἰδίπουν ὀλωλότα,*

ubi ex *λέξας Οἰδίπουν* vera sententia erui nequit, sed *ὀλωλότα* addatur oportet, cujus participii loco in nostro usu est subjunctum enunciatum. Ejus modi autem locos apud tragicos hos inveni Aesch. Sept. 613:

τὸν ἕβδομον δὴ τόνδ' ἐφ' ἑβδόμαις πύλαις
λέξω, τὸν αὐτοῦ σοῦ κασίγνητον, πόλει
οἵας ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας
porro Soph. Elect. 520. 552. 750. Oed. R 780. 842. Eur. Alc. 669. Med. 249. Andr. 635. Iph. A. 526 et Hec. 967:

πρῶτον μὲν εἰπὲ παῖδ' ὃν ἐξ ἐμῆς χερὸς
Πολύδωρον ἔκ τε πατρὸς ἐν δόμοις ἔχεις,
εἰ ζῇ·

quo loco, sicut in illo Aeschyli loco, enunciatum non affirmative, sed interrogative est appositum verbo dicendi, quod scilicet in participiis nunquam fieri potest: ex quo hujus nostri usus majorem ambitum atque circuitum cognoscas. Et locus in Ar. nub. 1118, a quo omnis haec disputatio orta est, plane hujus modi est, quem in Eur. Hec. 967 et Aesch. Sept. 613 descripsi. Qua occasione oblata conferam ex tragicis alios locos, qui eandem explicationem requirunt, quam ii, in quibus verbum *λέγειν* usurpatuu vidimus: cujus generis sunt loci verbum *ἀκούειν* exhibentes constructum cum persona, ad cujus descriptionem sane necessarium est enunciatum succedens, veluti in Eur. Or. 1566:

ἤκουσα γὰρ δὴ τὴν ἐμὴν ξυνάορον
ὡς οὐ τέθνηκεν, ἀλλ' ἄφαντος οἴχεται·

et in Soph. Aj. 1141. Phil. 549. Neque aliter puto interpretandos esse locos, quos Bernhardy l. l. citavit, ex Soph. Trach. 297:

ὅμως δ' ἔνεστι τοῖσιν εὖ σκοπουμένοις
ταρβεῖν τὸν εὖ πράσσοντα, μὴ σφαλῇ ποτε.

et ex Soph. Phil. 493:

πατρί μ' ὡς δείξῃς φίλῳ,
ὃν δὴ παλαί' ἂν ἐξότου δέδοικ' ἐγὼ
μή μοι βεβήκοι,

in quibus locis hoc accedit, quod verbum *ταρβεῖν* vel *δεδιέναι* cum accusativo personae per se conjunctum plane alium sensum affert atque eum, quem scriptor vere exponere vult: sed addito demum enunciato subjuncto vera sententia indicatur. Sed accedit haec locutio ad similitudinem usus in verbis audiendi, in quo ut in illo Eur. loco *ἀκούειν ξυνάορον* non designat, personae vocem audiri. Quod enim nos dicere nequimus nisi ita, ut rei notionem aut conditionem indice-

mus, in qua persona aliqua est, sicuti: ich habe ihren Tod gehört, id Graeci exprimunt per personam, quae in aliqua conditione versatur, et appositionem, quae ad illam conditionem spectat, additam; vel, ut planius et brevius quamquam minus latine dicam, Graeci pro abstracta dicendi ratione concreta utuntur tali modo: *ἀκούω αὐτὴν τεθνηκυῖαν*: in quo accusativus personae vere dependet a verbo audiendi, quod nobis, qui aliam cogitandi rationem sequimur, facere non licet. Neque dubium est, quin pro hoc participio enunciatum quoque dici possit *ὡς τέθνηκεν*, inter quas duas dicendi rationes subtile tantum discrimen intercedit, quod nunc explanare longum est. Itaque mirum non erit, dici *ἀκούω αὐτὴν ὡς τέθνηκεν* et ad similitulinem hujus Graecis proprii usus verba metuendi usurpata esse ita, ut accusativus personae cum enunciato subjuncto conjunctus idem designet, quod nos per substantivum, ut ita dicam, abstractum dicamus oportet: ut in Soph. Phil. loco dicimus: dessen Hingang ich schon längst befürchte. — Idem autem cadit in locum a Bernhardy allatum in Plut. Q. S. VII, 10: *οἴνῳ δὲ χρωμένους ἐπιπλέον καὶ διαπίνοντας, ἄλλως νοῦν ἔχοντας ἄνδρας, οὐκ ἄξιον δεδιέναι μὴ σφαλῶσι τῷ λογισμῷ* et in Her. VIII, 63: *δοκέειν δέ μοι, ἀῤῥωδήσας μάλιστα τοὺς Ἀθηναίους ἀνεδιδάσκετο, μή σφεας ἀπολίπωσιν.* — Sed ut ad summam veniam, mea interpretatione locorum, quos Bernhardy vir doctissimus in synt. gr. gr. attulit, probavisse mihi videor, in hoc usu graecae orationis non esse accusativos, qui specie tantum dependeant a verbo apposito, nec meam rationem interpretandi hujus usus, quam initio hujus paragraphi exposui, ullo modo esse refutatam. —

Ad extremum adjungam locum in Aesch. Sept. 20:

*ἡ γὰρ νέους ἕρποντας εὐμενεῖ πέδῳ,*
*ἅπαντα πανδοκοῦσα παιδείας ὄτλον,*
*ἐθρέψατ' οἰκητῆρας ἀσπιδηφόρους*
*πιστοὺς ὅπως γένοισθε πρὸς χρέος τόδε,*

ubi Hermannus in sua editione singulari attractione dictum esse annotat *πιστοὺς ὅπως γένοισθε*: quod simili ratione atque qua usi sumus in verbis sentiendi etc., explicandum puto. Hoc enim loco verbum *τρέφειν* occurrit, a quo duo accusativi dependent, unus qui

personam significat ab actione verbi comprehensam *νέους ἕρποντας*, alter, qui indicat, quid eadem actio verbi procreet, ita, ut consilium verbi simul appareat id procreandi, quod in altero accusativo *οἰκητῆρας ἀσπιδηφόρους πιστοὺς* inest. Inde manifestum est, enunciatum quoque, quod consilium indicat, pro hoc altero accusativo substitui posse: *ἣ νέους ἕρποντας .... ἐθρέψατο, ὅπως οἰκητῆρες ἀσπιδηφόροι πιστοὶ γένοισθε πρὸς χρέος τόδε.* Aeschylus vero duobus accusativis et *νέους* et *οἰκητῆρας πιστοὺς* insuper enunciatum addidit, quo consilium verbi *θρέψασθαι* planius indicaretur atque tota sententia magis definiretur et explanaretur per verba *πρὸς χρέος τόδε.* Conferre autem licet in latino sermone similem verborum structuram, ut in Plaut. Poen. 2, 5: nec potui tamen propitiam Venerem facere, uti esset mihi. Item in Soph. Ant. 412:

*ὀσμὴν ἀπ' αὐτοῦ μὴ βάλῃ πεφευγότες,*

enunciatum *μὴ βάλῃ* nihil nisi explicationem verborum *ὀσμὴν ἀπ' αὐτοῦ* affert. Alienus vero mihi esse videtur is locus, quem Hermannus l. l. confert ex Eur. Iph. Taur. 926:

*σιγῇ δ' ἐτεκτήναντ' ἀπόφθεγκτόν μ' ὅπως*
*δαιτὸς γενοίμην πώματός τ' αὐτοῦ δίχα.*

ad quem locum annotat: „Falsi sunt autem Marklandus cum eoque Seidlerus, quum haec *σιγῇ δ' ἐτεκτήναντ' ἀπόφθεγκτόν μ'* in parenthesi adjecta esse putabant. Immo cohaerent cum iis, quae sequuntur, ut si scriptum esset: *σιγῇ δ' ἐτεκτήναντο, ὅπως ἀπόφθεγκτος δαιτὸς καὶ πώματος δίχα γενοίμην.* Similiter Aesch. Sept. 19.“ Enunciatum enim *ὅπως δαιτὸς δίχα. ... γενοίμην* indicat consilium pertinens ad totam praecedentem sententiam: „Ideo illi silentes me sermone privatum reddiderunt, ne diutius cibo potuque fruerer, sed mox abirem“ Orestes dicit. Neque igitur Seidleri atque Marklandi sententiam probo, qui in parenthesi adjecta esse putabant: *σιγῇ δ' ἐτεκτήναντ' ἀπόφθεγκτόν μ'*, sed verba omnia suo loco esse judico, ut sententia plana atque perfecta oriatur. —

# VITA.

Natus sum Vratislaviae die XXVIII. mens. Februarii anno hujus saeculi quadragesimo, patre Ainotheo, matre Christiana e gente Stahl. Fidem profiteor evangelicam. Sex annos natum pater me misit ad litterarum rudimenta percipienda in scholam publicam subjunctam Magdalenaeo gymnasio hujus urbis, quod dein frequentavi per octo annos. Gymnasium autem hoc Magdalenaeum directore Schoenbornio quam maxime floret, cujus aliorumque praeceptorum merita grato animo infixa semper manebunt. Maturitatis testimonio instructus anno hujus saeculi LVII. hanc litterarum universitatem Viadrinam rectore t. t. viro Ill. Elvenich adii, ubi per novem semestria operam dedi studiis philologicis. Scholis autem interfui philologicis virorum Ill. Haasii et Rossbachi, quorum benevolentia mihi contigit, ut inter seminarii regii sodales reciperer, tum scholis virorum ill. Bernays et Westphal; neque scholis philosophicis et historicis non vacavi apud viros Ill. Braniss, Stenzler, Junkmann, Groeger, Cauer, qui idem praeceptor in Magdalenaeo antea jam plures per annos litteris me imbuerat. Atque Viadrina relicta unum per annum privatim operam dedi studiis usque adhuc in hac urbe degens in patris mei domo.

## Theses.

1. Eos philologos, qui rebus publicis operam dant, maxime idoneos judico ad antiquitates Romanorum Graecorumque et percipiendas et edocendas.

2. Valde comprobandam esse sententiam eorum censeo, qui Thucydidis scriptis obscuritatem inesse negant.

3. In Eur. Cycl. 356 (ed. Kirchhoff.) pro: *ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ καὶ ἀνθρακιᾶς ἄπο χναύειν*, quae est codicum lectio, sic esse legendum statuo: *ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ κρέ' ἀνθρακιᾶς ἄπο χναύειν*.